EX PLVTARCHO DE NVGACITATE OPVSCVLVM HOC VER-TEBAT IOANNES LAVRENTIVS VENETVS.

PLVTARCHVS DE NVGACITATE INTERPRETE IO. LAVRENTIO VENETO.

r

Em omnino grauem, difficilemq; suscipit Philosophia, dum nugacitatẽ sanare uelle profitetur. Eius enim medicina, & pharmacum sermo est, qui ad audiẽtes pertinet. nugaces uero, dum semper loquuntur, neminem audiunt, & primum hoc, peculiareq; nugacitati uitium inest, quia non audit. Voluntaria nanq; surditas quibusdam hominibus innata est, quos naturæ succensere puto, q linguam unicam, aures habeant geminas. Idcirco si ad imprudentem auditorem eleganter dixit Euripides,

Nihil tenentem complere haud possem satis,
Sermone docto fatuum perluens uirum.

Longe commodius ad nugatorem, uel de nugatore potius, dicere quis posset,

Nihil admittentem complere haud possem satis,
Sermone docto fatuum perluens uirum.

Vel ut rectius dicamus, circũfundens, homini ad eos qui non audiunt, loquenti, eos uero qui loquuntur non audienti. Nam & si paruum aliquid audiuerit, illud nugacitas tanquam inundationem quãprimum suscipit, ac longe abundantius reuomit. Porticum illam olympicam unica tantum uoce plurifariam reuerberantem, septiuocam appellauere. At nugacitatem etiam si breuissimus titillauerit sermo, statim contra resonat. Mouetq; chordas animi immobiles prius, & fortasse dubi-

tari posset,an loquacibus,non in animum,sed in linguā auditus sit perforatus, ac propterea cum apud alios uerba resideant, a nugatoribus cōtinuo effluunt, quapropter tanquā uasa uacua, & sine mente,tinnitus pleni circunferuntur. Si igitur intentatum nihil prætermittendum est,Nugaci dicamus licet,

Silere oportet,multa nam fili bona
Præstat tacentis lingua continens uiri.

Duo uero præcipua, & maxima,audire scilicet, atq; audiri,quorū neutrum assequi nugatores possunt. ea &.n. in re quam maxime cupiūt, infelices sunt,in aliis quippe animi ægritudinibus, ut auaritia, gloriæq;,aut uoluptatis cupiditate, quo saltē optāt homines,perueniūt. Nugacibus uero hoc præcipue molestissimum euenit, quod cum auditores maxime habere cupiant, non inueniūt. Vnusquisq; enim eos concito gradu fugit,& si forte in hemicyclo sedentes, uel deambulantes aliqui nugacem, eūdem ad locum aduentare cōspexerint,quasi castra mouēda sint, alter alterum,ut celeriter discedat, hortatur.& quemadmodum in conuentu aliquo,dum taciturnitas quædam subita homines occupat, superuenisse Mercurius dicitur, sic etiam cum in symposium, consessumq; familiarium, nugator intrauerit,continentissime silentium seruant. Timent enim ne loquēdi cupido ansam præbeant. Si uero os ipse aperire cœperit, tanquam ex maritima aliqua specula boream spirare uiderint, fluctuationem, nauseamq; futuram suspicantes,e loco discedunt. Quapropter etiam usu uenire solet,ut dum inuitati ad cœnam ueniunt, apud eos libē-

ter sedeat nemo, & dum peregrinantur, aut nauigant, homines non sponte, sed coacti eodem nauigio, aut cubiculo permaneant. Adiacet enim ubiq;, ac modo apprehensis uestibus, modo barbam uellicans, nonnunquam latus manu percutiens inhæret. Ea igitur (ut Archilochus ait) tempestate, pedes maximo sunt pretio. & mehercle sapiens Aristoteles idem sensit, nam & ipse importuna cuiusdam loquacitate moleste affectus, & absurdis eius narrationibus uerberatus, cum ille identidem inculcaret, nonne hoc tibi mirum uidetur Aristoteles? non hoc (inquit) mirum, sed illud, siquis pedes habeat, te perpeti possit. Alterique huiuscemodi moribus prædito, cum post multos longosque sermones, subiecisset, nugatus sum tecum philosophe, non per Iouem respondit, ad ea enim quæ dixisti, mentem non adhibui. Et si quando nugaces ut audiantur, nobis intulerint uim, animus aures uerbis solum exterius circūfundendas accōmodat, ipse uero interius alias cogitationes secū percurrit, & uersat. Eam ob rem intentis credulisq; auditoribus haud quaquam abundant. utque eorum qui ad res uenereas proni, facilesque sunt, semen haud omnino genitale creditur, ita nugacium sermo imperfectus est, & minime fructuosus. Et tamē nihil firmiore uallo natura, quam linguam in nobis munisse uidetur, quippe quæ eam obiecto ante ipsam dentium præsidio coercuit, ut si quando rationi habenas quatienti non obtemperauerit nec conuersa redierit ad officium, sanguinem morsu elicientes eius intemperantiam continere possimus. Neque

enim aerarii, domusq; non clausæ, sed effrenis linguæ extremum finem, infelicitatem occupare, scripsit Euripides. Qui uero domum sine foribus, uel marsupium non ligatum possessori nihil conferre posse putat, ore autem non obsignato, sed tanquã Ponti ostio, quod semper exterius effluit, patente utuntur, rem omniũ uilissimam, humanũ sermonẽ æstimare uidentur. Idcirco nec fidem quã omnis affectat oratio assequuntur, peculiaris &.n. propriusq; eius finis est, fidẽ uerbis astruere. Nugacibus autem etiam si uera dixerint, nullus credit. Vt.n. frumentum uase cõstrictum cumulatioris mẽsuræ inuenitur, usu autem pessimum est, sic sermo qui in hominem loquaciorem ĩciderit, cumulatioris mendacii mensuram reddit, cuius causa fidẽ sibi ipse abrogat. Quod autem omnis, qui modo uerecundus, & moderatus esse uoluerit, uinolentiam caueat, manifestum est. Furoris.n. ut quidam dicunt, comes est iracundia, ebrietas autem cõtubernalis, uel ut rectius dicamus, insania est, tempore breuior. Sed quoniam uolũtaria est, propterea maior, spontanea etenim in ea electio inest. In hac igitur ebrietate nihil magisquam uerborum petulãtia, & incertitudo sermonis uituperatur.

Bacchus.n. inuitat, suadet qui sæpe canendo,
Dulcibus atq; iocis, molles iterare choreas,
Et blando risu sapientibus ora resoluit.

Et quid grauius? cuiusq; comparatione, saltatio, risus, iocusq; nihil est? id scilicet quod subditur.

Quæq; tacenda forent melius, uulgare coegit.

Hoc iam intolerabile, periculoq; plenum est, & fortasse

quod apud Philosophos iam diu quæritur, hisce uersibus Poeta soluit, potationis uidelicet, ebrietatisq; diuersitatem significans. potu.n.remittitur animus, ebrietas in nugacitatem incidit. Id.n.quod sobrii hominis corde seruat, in ebrii lingua residere solet, ut aiunt, quibus prouerbia colligere studium est. Idcirco Bias cum in Symposio taceret, proptereaq; tanquã simplex, rudisq; a nugatore quodã taxaret, Et quis natura (inquit) fatuus inter uina silere potest? Athenis etiam dum regios oratores quidam conuiuio suscepisset, sciretq; eos uirtutis studiosos esse, omnem adhibuit diligẽtiam, ut eundem in locũ Philosophos congregaret. cumq; mutuis inuicem sermonibus colloquerentur, & quasi per symbolum uerba conferrent, solus inter omnes quiescebat Zeno. cui blande compellato, dum legati propinassent, dixere, de te Zeno, Regi quidnam dicturi sumus? Et ille, nihil inquit aliud, nisi Athenis senem esse, qui in potu silere nouit. adeo profundum, sobriumq; mysterium taciturnitas est. Ebrietas autẽ meræ nugæ, ut pote cum sine iudicio & cura sit, proptereaq; in multas panditur uoces. Philosophi etiam ebrietatem cum definiunt, nugacitatem in uino esse aiunt. Idcirco potatio probrum non est, si inter uina silentium adsit. Stulta.n.confabulatio ex potu uinolentiam parit, & tamen ebrius in uino solum. at loquax ubiq; nugatur, in foro, in deambulatione, in theatro, ĩ compotatione, die, noctuq; ægroto assidens, ĩfirmitate ipsa grauior est, simul nauigans nausea molestior, laudans uituperãte importunior, iucundiorq; est nequam hominis, sed tempe-

potu remittitur animus, ebrietas in nugacitatem inci[dit]

profundum, sobrium mysterium taciturnitas

stiui, quam boni uiri, sed nugacis consuetudo. Nestor ille sophocleus Aiacem excandescentem mitigans, moraliter dixit, tibi non succéseo, qui cum bene facias, male loqueris. Erga nugacem uero, non eo quo Nestor erat, affectu sumus, sed omnem operæ quam exibet gratiam, sermo intempestiuus corrumpit, ac perdit. Lysias cuidam causam dicturo, orationem tradidit scriptam, quam ille cum sæpe legisset, ad eum rediit dolens, aitq; sibi cum primum orationem percurrisset, admirabilé, cum uero iterũ, ac tertio in manus sumpsisset, sine ulla omnino uehementia uisam. Cui arridens Lysias, nonne (inquit) semel tantum coram iudicibus dicturus es? & tamen Lysiæ gratiam, persuadendiq; artificium ignorat nemo. eum enim ego affirmare ausim, omnes Musarum ueneres, suauitatesq; sortitum. Illud etiam quod de Poeta dicitur, uerissimum est. Solus.n. Homerus hominum superauit satietatem, adeo ubiq; nouus reperitur, & recenti gratia ubiq; præditus floret. Is tamé dum de seipso quodammodo exclamat,

Displicet acta prius iterum inculcare loquendo.

Fastidiũ, quod omni ĩmodicæ locutioni assidet, euitare, & cauere uoluisse uidet́. atq; ita ex uno in alterũ transiens argumentũ, mulcet auditoré, ac narrationũ multiplici nouitate, satietatem declinat. Nugaces uero idem semper ĩculcantes obtundũt aures, tanquã palimpsesta delentes. In hoc igitur primũ admonendi sunt, q; sicut uinũ uoluptatis, conciliandæq; ĩter amicos beneuolentiæ causa, alioqui inuentũ, si quis multũ, merũq; bibere coegerit, homines utplurimum ad nauseam, uinolen/

tiamq; conuertit, ita etiam sermo, cum rerum omnium suauissimus sit, maximeq; ad conciliandos inuicem homines inuentus, qui eo male, ineptèq; utuntur, inhumanum insociabilemq; efficiunt. His.n. quibus gratificari se putant, molestiam inferunt, ex his quibus hominum erga se admirationem cōcitari existimant, derisui sunt, ac per quæ diligi, amariq; sperant, fastidio habētur. Vt igitur cesto præcinctus, eos qui ad gratiam uersantur, si fastidiat, & repellat sine Venere, sic etiam qui nugãdo molestus, & propterea odio dignus est, rusticus, inelegansq; omnino habetur. Illud etiam animaduertendũ q; animi ægritudines, aliæq; affectiones, uel periculum, uel odium, uel irrisionem secum afferre solent. In nugacitate uero simul insunt omnia. deridētur enim quoniã cum omnibus cōmunicant. odio habentur, quia mala nuntiant. periclitantur, quoniam secreta non cōtinent. Quapropter Anacharsis apud Solonem inuitatus, cum obdormiuisset, sinistrã uirilibus, dexterã ori applicuisse repertus est, fortiore & enim nexu linguam coercendam existimabat, & id quidem recte. Nemo enim facile tot homines rei ueneræ intemperantia lapsos enumerare posset, quot Ciuitates, & principatus, secreta in publicum diuulgata funditus euertere. Athenas obsidebat Sylla, nec ei diutius permanendi eo in loco supererat ocium. Siquidem hinc Mithridates, qui Asiã Romanis eripuerat, inde Marius, eiusq; factio, quæ urbem iterum occupauerat, hominẽ urgebant. sed cum seniores quidam intra Athenas, apud tonstrinam colloquerentur, incidit ĩter eos sermo, q; Heptachalcũ minime

Anacharsis apud Solonem inuitatus cũ obdormiuisset sinistram uirilibus dexteram ori applicuisse repertus est.

custodiret, periculumq; esse, ne urbs ea ex parte capere tur quæ uerba exploratores qui aderant cum audissent, Syllæ retulerunt. At ille statim exercitu congregato, circiter noctis medium, per eum locum in urbem milites introduxit, paulumq; abfuit, quin eam deleret, cæde tamen, & cadaueribus compleuit adeo, ut sanguine Ceramicum fluxerit. Erat autem ille Atheniensibus ob dicta potius quã facta iratior. Probra enim in eum & Metellam, in muris saltantes iactabant, Sylla furfure morus aspersa est. ac pleraq; alia huiuscemodi nugantes pro leuissima (ut Plato inquit) uerborum petulantia, intolerabilem mulctam perpessi sunt. Vrbem quoq; Romã ne a Neronis seruitute in libertatem assereretur, hominis unius nugacitas prohibuit. Vnica supererat nox secũdũ quã præparatis omnibus, Tyrannum interfici oportebat. Is autem qui eum interficiendũ susceperat, in theatrum proficiscens, cum hominem in uinculis apud fores ut Neroni exhiberetur, qui fortunã calamitatemq; propriã plorabat, uidisset, propius accessit, & ĩsusurrãs, Deos (inquit) bone uir ora, ut hodierna hæc dies solũ pertranseat, nam crastina mihi gratias ages. Ille autem obscure significatã occasioné arripuit, & secum (ut puto) cogitans, stultum esse pro incertis, certa relinquere, tutiorem potius spem salutis, quã iustiorem elegit. Ac uerba hominis illius Neroni detulit, qui sublimis raptus quam primum est, & statim quæstiones ignis, uerberaq;, admouentur, ut quod nulla urgente causa uulgauerat, & tunc, quãquã tormentis coactus negabat, cõfiteretur. At Zeno philosophus, ne cõiurationis secre

tum, etiam inuitus tormentorũ uiolentia cogeretur fa-
teri, excisam mordicus linguã, in tyranni faciem expuit.
Leæna etiam honestissimum huiusce continentiæ præ-
mium habet. Ea erat meretrix Harmodio, Aristogyto-
niq; familiaris, quæ coniurationis in tyrãnos particeps
cum esset, nihil aliud utpote mulier, nisi spem commu
nicare poterat. nam ipsa quoq; eodem quo illi, amoris
pulcherrimo cratere bacchabatur, & ad secreta fidissi-
me tenenda, ipsius cupidinis interuẽtu iniciata erat. Vt
igitur ambo aduersa usi fortuna interfecti fuere, capta
est. & dum ab ea per tormenta exquireretur, ut coniura-
tionis participes, qui ignorabantur, deferret, neminem
nominauit. sed forti, constantiq; animo prædita, osten
dit nihil se ipsis indignum tantos uiros fecisse, quoniã
talem amauerant. Atheniẽses uero Leænam ex ære elin
guem fecerũt, ac pro foribus arcis dedicauere, ut ex ani
malis uehementia & impetu animi, eius insuperabilem
constantiam, q̃ linguam haberet nullam, taciturnitatis
mysterium figurarent. Nullum enim uerbum unquam
dictum tam profuit, quam multa nõ dicta. quod enim
tacetur, proferre cum placuerit, licet. quod prolatũ est,
taceri non potest, sed effunditur undiq; ac diuulgatur.
Idcirco sermonis homines, silentii p̃ceptores habemus
deos, id quod ex secretis mysteriis, sacrisq; p̃cepimus.
Vlyssem hominẽ eloquentissimũ, maxime omniũ taci
turnũ inducit poeta, filiũ quoq; eius & uxorẽ, ac postre
mo nutricẽ ipsam similiter. audis enim eam dicentẽ.
Vt ferrum, & quercus tanquã prædura manebo.
Et ipse Penelope assidens.

Vxoris lachrymas animo miseratus amaras,
Ast oculos, tanquã ferrum, cornuq; tenebat
Immotos.

Adeo corpus eius undiq; constantia & fortitudine septum erat. & ratio omnia sibi obtemperãtia subiectaq; fecerat, ut oculis, ne fleret, linguae, ne loqueretur, cordi ne tremeret, aut latraret, pscribere posset. iquit enim,

Olli cor patiens, fixum, immotumq; manebat.

Nam usque ad irrationales motus ratio penetrabat, Ita ut spiritum sanguinemq; dicto parentem, & mansuetũ sibi ipse reddidisset. Tales etiam ex sociis eius plerique. Quod enim a Cyclope lacerati, pauimento allisi, nihil de Vlyssis cõsilio dixerint, quod igne duratum, praeparatumq; ad effodiendum lumen, instrumentũ non ostẽderint, sed potius crudi deuorari, quam secretũ aliquid propalare sustinuerint, constantiae fideiq; argumẽtum adeo magnum de se ipsis exhibuerunt, ut nihil amplius addi possit. Quaproter nõ male Pittacus. Cui cũ Aegypti rex uictimam misisset, utque optimam, pessimamq; inde excerperet carnem, mandasset, linguam extraxit & misit, tanquam scilicet bonorum omnium, malorumq; instrumentum uel maximum esset. Ino autem apud Euripidẽ de se magna fiducia profitetur, quod ubi expediret, silere nosset, loqui uero cũ tutum esset. Qui enim generosa, uereq; regia educatione ĩstituti fuerint, tacere primum, postea loqui didicerunt. Antiochus rex ille magnus cum interrogaretur a filio, quando castra moturus esset, times (ĩquit) ne solus tu buccinae clangorem nõ audias? Quid igitur? cui regnum re-

...ngua bonorum omnium ...alorumq; maximũ instr.

licturus erat, secretam uocem cõmittere non poterat? poterat inquã. sed eum docere uoluit caute, continenterq; in huiuscemodi se gerere. Metellus etiam senior simile quiddam, dum exercitum haberet, interrogatus, Si uestem (ait) meam huiusce secreti consciam esse existimarem, quam primum spoliatus, eam in ignem imponerem. Eumenes cum audisset contra se aduentantem Craterũ, nulli ex amicis rem communicauit, sed Neoptolemum esse eum qui ueniebat, mentitus est. Hunc enim milites contemnebant, illius uero dignitatẽ admirabantur, amabantq; uirtutem. Cum itaq; nemini secretum hoc cognitum esset, congressi sunt, superatisq; hostibus, Craterum quoq; ipsum nescientes interfecere, mortuumq; demum cognouerunt. Atq; hoc modo taciturnitas pugnam confecit, & talem tantumq; hostẽ, ut ignoraretur, assecuta est. Adeo ut Eumenem, quoniã nihil antea communicasset, potius admirarẽtur amici, quam aliqua in re, ei succenserent. & si quis etiam succẽ suisset, longe melius est seruari quempiã, & quasi nemini fidem habuerit, reprehendi, quam nimia facilitate lapsum ruere, proptereaq; accusari. Et quis est qui loquax ipse cum sit, locum, audaciamq; non tacentem reprehendẽdi sibi ipse relinquat? Si enĩ quæ dicebas efferri nõ oportebat, cum altero, quare communicabas? Sin tu ipse dimittis, & secretum apud alium deponis? cum tuam prostituas fidem, ad alienam confugis? Quod si tui similis ille fuerit, iuste periclitaris. Si melior, præter rationem bene tibi succedit. Quippe qui alterum te ipso fideliorem experiris. Sed hic ais, amicus meus est.

Metellus senior interrog[atus] / Si vestem meam huiusc[e] / secreti consciam esse exi/stimaré, quam primum / spoliatus eam in ignem / imponerem.

Huic etiam aliquis alius amicus erit, cui credet, ut huic ego,& ille rursus alteri, hocq; modo intemperantia crescente, sermo pullulat,atq; diffunditur. Vt enim unitas fines non transcendit suos,sed semper unum est, iccircoq; unitas appellatur. Dualitas autem differentiæ principium indeterminatum est, quamprimum enim se ipsam duplicando disiungit, in pluralitatem conuertitur. Sic etiam uerbum quousq; apud primum permanet, secretum re uera est, Si ad alterum transfertur,iam famæ nomen sibi uendicat. Verba uolantia esse ait Poeta,utq; uolatile,si quis manu emiserit,non facile iterum recuperat,ita etiam sermo ex ore iactatus contineri, alligariq; non potest. sed celeres per circuitū pennas quatiens, ex aliis,ad alios diuulgatus fertur, & uolat. Cum uehementiore uentorum impetu rapitur nauis,iactis anchoris, & iunco fascibus inuolutis, cursum retinent. At sermo postquam excurrere tanquam e portu cœperit, nec anchoræ iactu, nec statione retinetur. Sed strepitu, sonituq; multo concitus,uiq; coactus rumpitur,& cum eius qui locutus est,periculo mergitur. iccirco,

ba uolantia esse ait
ua

Parua ex fauilla posset idæum nemus
Ardere,si quis uellet,hoc credas mihi,
Vniq; dictum ciuitas omnis sciet.

Senatus Romæ secretum quoddam rei dubiæ, per plures dies agitabat. cumq; res illa multam suspicionem, incertitudinemq; habere uideretur, fœmina quædam, quantum ad alia attinet,modesta, & pudica,sed tamen fœmina,apud uirum summis precibus,blandiciisq; instabat,ut secretum communicaret,iuramēta,impreca

tiones,& lacrymæ de taciturnitate ſeruanda continen/ter aderant. Videbatur enim maxime anxia eſſe, ac mo/leſte ferre, quaſi uir ei fidem haberet nullam. At Roma nus mulieris ſimplicitatem redarguere cum uellet, uim mihi (inquit) inferſ uxor, & uincis. ſed audi terribile, hor rendumq; monſtrum, quod ſacerdotes nuntiauere. Co turnix galeam capite auream geſtans, lanceamque fe/rens, uolare uiſa eſt: in magna propterea ambiguitate etiam cum auguribus uerſamur, boni ne, an mali ali/quid, oſtentum portendat. Tu uero tace. Et hoc di/cto in forum ibat. Mulier prima ex ancillulis quæ forte ingreſſa erat arrepta, pectus uerberare, crineſque ipſa præſente, lacerare cœpit, heu mi uir, heu patria, iden/tidem clamans, quidnam calamitatis patiemur? uo/lens quodammodo ancillam docere, ut quid noui eue niſſet, interrogaret. Vt igitur interrogata narrauit omnia, & communem illam omnium nugacium addidit clau ſulam, nemini dixeris, ſed tace. Ancillula quam pri/mum inde receſſit, una ex conſeruis quam ocioſio/rem uidit euocata, ſecretum cum ipſa communicauit. Illa amatori ſuo qui aderat, retulit, ac deinde in forum uſque, res illa quaſi circulo quodam reuoluta eſt, ita ut eum qui rumorem finxerat, præueniret. occurrenſq; ei ex familiaribus quidam inquit, nuper ne ex domo in forum deſcendis? nuperrime ait ille. nihil igitur audi/uiſti? nihil. ſed eſt ne aliquid noui? Coturnix cum lan/cea, galeaq; aurea uolare uiſa eſt, & hanc ob rem prin/cipes ciuitatis Senatum habituri ſunt. Ille uero ri/dens bene, ac recte (inquit) uxor mea, cuius diligentia

effectum est, ut secretum in forum me citius, præcurre-
rit. Principes itaq; celeriter conuenit, & re (ut erat) nar-
rata, ciuitatẽ metu, ac perturbatione liberauit, utq; mu-
lierem ulcisceretur, cum primum rediit domum. Heus
bona uxor perdidisti me, ĩquit. Secretum enim e domo
nostra prodiisse in uulgus deprehendit Senatus. Idcir-
co incontinentiæ tuæ causa, mihi a patria exulandum
est. Illa uero primum negare cœpit, deinde dicere, nõ-
ne hæc cum trecentis hominibus audisti? quos mihi in
quit ille, trecentos nugaris? cum mihi uim inferres, ut tẽ
perantiæ tuæ periculum facerem, omnia finxi. Hic igi-
tur magna adhibita cautione, tanquã in uas minime syn
cerũm, nõ uinum, oleumue, sed aquam infunderet, uxo
rem tuto expertus est. Fuluius autem Cæsaris Augusti
familiaris & socius, cum audisset eum iam senio grauẽ,
ob desertam, orbatamq; domum ingemiscẽtem, quo-
niã duobus intempestiuo funere elatis nepotibus suis,
& Posthumio, qui reliquus erat, calumniæ causa exulan
te, uxoris filium principatus successorem, instituere co-
geretur, ideoq; pietate motus de nepote, ab exilio reuo
cando cogitabat, hæc Fuluius ut audiuerat, uxori suæ
detulit. Illa uero Liuiæ protinus. Liuia igitur acerbissi
me apud Augustum cõquesta, si hæc (ait) iampridem
deliberasti, cur nepotem ab exilio non reducis? cur
me in odium, inimicitiamq; successorum principatus
tui coniicis? mane autem dum pro consuetudine ue-
nisset ad eum Fuluius, dixissetq; Salue Cæsar. Sanus sis
inquit ille Fului, quod resalutandi genus cum intelle-
xisset Fuluius, quamprimũ discessit, & recta in domũ,

[F]ulvius Caesaris Augusti
familiaris secreta uxori
pandens [illegible]

aures pessimæ tantum rei confabulationes hauriunt, rapiūtq;, uel, ut uerius expressiumq; dicamus, quemadmodum in una quaq; urbe portæ sunt nonnullæ quæ nefastæ habentur, ac sceleratæ quibus tum capite damnatos tum expiationes purgamentaq; proiiciunt. Felix autem sacrumue aliquid neq; infertur neq; effertur. Similiter & curiosorum hominum aures nihil urbanū optimumue, sed lethiferas crudelesq; & piaculares tantum narrationes percurrunt, teruntq;. Hæc sola curiosis musica, hic cātus, hæ syrenes solæ. Hæc cum audiūt, nihil dulcius iucundiusue existimant. Etenim proprie curiositas quærendi perscrutandiq; studium habet ea quæ in occulto & abdito latēt, cum retrahenda huiuscemodi arcana ut plurimum sint. Nullus etenim bona alicuius sibiipsi conscius alios cellare solitus est. Quin potius cō tra non paucissimos quæ non habuerint bona, quasi habeant, uendicare ac præseferre uidemus. Quapropter malorum spectacula cupiens curiosus, calamitatum alienarum gaudio afficitur solo. Qui quidem morbus inuidiæ consanguineus est atq; germanus. Cum enim inuidentia conceptus ex aliena fœlicitate dolor sit, e contrario hæc alienis in commodis miseriisq;, uoluptas & delectatio est. Ambo autem ex fero belluinoq; affectu, mētis scilicet & morum deprauatione orta uidentur. Tam graui nanque molestia, tam acerbo unusquisque dolore afficitur, cum quid malorum miseriarumq; suarum effertur in publicum, ut plurimi æquiore animo mortem elegerint, quam secretum aliquem morbum etiam medicis ipsis uel ostendere uel cōmunicare, in animū

calamitatum alienarum gaudio afficitur curi[osus]

inducerent. Age enim Erophilum aut Erasistratum, aut si lubet etiam Esculapium ipsum, cum inter homines uersaretur, pharmaca cæteraq; artis instrumēta deferentem fingamus animo unicuiq; assidentem domi interrogare quisnam intus, circa digitum habet fistulam, quæ mulier cancro laborat, nonne quamprimum huiuscemodi hominem quilibet ex domo ꝓpria deturbaret, quippe qui non expectata necessitate ad aliena mala perspicienda inuocatus accesserit? cum tamen huiusce artis curiositas salutare quiddam profiteatur? Curiosi autem hæc ipsa & his etiam peiora, non leniendi sanandique, sed sola & præcipua detegendi, ac in publicum efferendi cupiditate scrutantur, quo fit ut omnes iustissimis causis eos oderint. Publicanos etenim molestos maximeq; onerosos existimamus, non ea ratione quod quæ palam importantur, inquirant, sed quia occulta & abdita excutientes, alienis impedimentis oneribusq; euertendis immorantur. Et tamen hoc ipsis leges concedunt, & incommodo damnoq; si neglexerint, afficiuntur. Curiosi uero alienis occupati negotiis sua & prætermittunt & negligunt, ac rarissime huiuscemodi homines relicta urbe rus proficisci uidemus, utpote cum solitarii loci quietem & taciturnitatē æquo animo ferre nō possint. Et si quando longo post tempore necessitas ut eo se cōferant, urget, alienas prius uites quā proprias perspiciūt atq; cōsyderant, subinde interrogantes quantum ex uicini armento perierit, quantum ex uino acuerit, celeriterque rei rusticæ quadam ueluti satietate grauati, citato cursu in urbem reuertun-

[Handwritten margin notes: "...s iustissimis causis / ...riosos oderes"; "...riosi solitudinis quietē / & taciturnitatē nō ferunt."]

tur. At uetus ille agrorum cultor urbani alicuius negotii sermones etiam sponte inculcatos non iucunde susci/piet. Ex aduerso curiosi agriculturam tanquam extra/neam & omnino frigidam rem, nulloq; tragico ac lu/ctuoso argumento refertam fugientes, in medio popu/lo uersantur, & modo fora, modo portus scrutantur, ac subinde unum quenque rogando perturbant. Heus tu, noui ne aliquid? Non. Ne pridie inquiunt in fo/rum descendisti? Quidni esse possit, tribus ne horis alio trāslatam urbem existimas? Quod siquis recens aliquid quod nunciare ualeat, habere se dicat, expeditissimus equo desilit, manum dat, osculum porrigit, atq; ad au/diendum sese paratissimum offert. Sin noui nihil esse re sponderit, moleste fert, ecquid ais? inquit. Nōne inforo fuisti? Non militum custodias præteristi? Non uenienti bus ex italia occurristi? Et ideo non minus ciuiliter quā prudenter Locrorū magistratus cuipiā ex peregrinatio ne redeunti, ac ad patriū statim introitum interrogāti, Quidnam noui? mulctam irrogarunt. Quemadmodū enim coqui pecudum, piscatores pisciū, ita etiā curiosi maloꝝ, ut ita loquamur, prouētus uotis omnibus expo scunt, ac molestias nouasq; reꝝ mutationes palam exo ptant, ut semp aliquid inde uenari possint, ac ad detra/hendū facultas adsit. Bene etiā Tyrius legū lator adulte ros tātū & curiosos ī comœdiis describi & notari pos/se, præterea neminē ciuiū sanxit. Videt̄ n. adulteriū uo luptatis alienæ curiositas quædā circa ea perquirenda īuestigādaq; tantū occupata, quæ ut multos lateāt, dili gētissime custodiunt̄. Itidē etiā hæc, de qua loquimur,

adulterii & curiosi apud Tyros, tantum puniti, q. a. adulterium uoluptatis alienæ et curiositas

curioſitas in ſoluendis denudandiſq; tantum rebus ar/
canis uerſatur. Vt autem multiplicia uariaq; addiſcen
di cupiditati, nugacitatem quãdam ineſſe uſu comper/
tum eſt, Quod uitium ut declinaret Pythagoras, quin/
quẽnale illud adoleſcentibus ſilentium, quod taciturni
tatẽ appellabat, indixiſſe traditur, Ita etiã huiuſcemodi
exactæ ac ſuperfluæ occupationi maledicentiam ſequi
omnino neceſſarium eſt. Quæ enim iucũde audierint,
iucunde effutiunt, quæ tanto ſtudio hinc & inde colle/
gerint, nõ ſine maxima uoluptate, aliis referunt. Quam
ob cauſam huiuſmodi hominibus præter alia quæ in/
ſunt uitio mala, morbus ipſe, quo minus cupiditatem
expleant, impedimento eſt. Omnes etenim eos & ca/
uent, & quãtum in ſe eſt cellant, nec quicquam curioſo
uidente agere, uel eloqui audiente poſſunt. quin potius
conſilia intermittunt, & ſi quid deliberatione indiget,
quouſq; huiuſmodi homo e medio ſublatus ſit, diffe/
runt, & ſi forte cum ſecretiorem aliquem ſermonẽ ince
perunt, aut ſeriam actionem ad finem uſq; deduxerint,
curioſus homo non præuiſus apparuerit, tanquam præ
currentis muſtellæ aſpectu perturbati, omnia e medio
tollũt abſconduntq;, ita ut ſæpenumero quæ omnibus
aperte dicuntur & oſtenduntur, hiſce ſolis abdita oc/
cultaq; ſint. Nullus etenim curioſo etiam uulgo decan/
tata credit, Ita enim undiq; omni fide nudus atq; deſer
tus eſt. Seruis igitur extraneiſq; potius quam curioſis
amicis affinibuſq; cõfidimus. At homericus ille Belle/
rophon cum ſibiipſi pernicioſas geſtaret literas, non
diſſoluit, tantumq; a regiis epiſtolis quantum prius ab

eius uxore, eadem continentiæ ratione abſtinuit. Ex
uno etenim intemperantiæ fonte curioſitas, adulte/
riumq; una cum ſingulari, & ſtultitia, & ſtoliditate deri
uatur. Poſtremæ nanq; inſaniæ ac furoris argumentum
eſt, relictis tot cõmunibus, publiciſq; (ut ita dicam) mu
lieribus, non ſine multis, grauibuſq; aliquando impẽſis
& clauſæ, & cuſtoditæ, ac ſæpe etiam deformi mole/
ſtum eſſe. Similiter autem & curioſis uſu uenit. Com/
plura etenim ſpectacula, honeſtaſque confabulationes,
tum ſtudia, tum iucundiſſima otia prætermittunt, ac
modo alienas literulas expungunt, nonnunquam uici/
norum parietibus aures inſerunt, ſæpe cum mulierculis
& ſeruis occulte ſuſurrant, non ſine periculo ut pluri/
mum, ſemper uero inhoneſte, turpiterq;. Quapropter
ad curioſitatem auertendam, id in primis utiliſſimum
erit, ſi quæ prius audiuimus & cognouimus, memo/
ria repetamus. Vt enim Simonides Poeta dicere ſole/
bat, ſi quis arculas illas duas, expenſarum unam, gratitu
dinis alteram poſt modicum tempus aperuerit, hanc
uacuam, illam plenam inueniet, ita etiam ſi curioſita/
tis thecam poſt aliquod tempus detexerit quiſpiam,
& quam multis uanis, iniucundis, inutilibuſq; auditio/
nibus ſcateat, cõſiderauerit, res ipſa ineptum ac omni/
no turpiſſimũ id uitii genus eſſe redarguet. Age enim
opinemur, ſi antiquorum ſcripta percurreret aliquis, ac
peſſima quæq; inde excerperet, uerbi cauſa aut ex Ho/
meri carminibus, quæ appellantur trunca, ex tragicis
ſoloeciſmos, aut ex Archilochi uerſibus, quos cõtra mu
lieres inhoneſte, intemperãterq; ſcripſit, librum com/

positum habeat, & circunferat, nóne dignissimus erit, in qué tragica illa imprecatio decãtetur? Pereas humanas diligens miserias. Sed remota etiam imprecatione, nóne & inutilis, & inhonestus erit huiuscemodi thesaurus? quemadmodum ciuitas illa fuisse memoratur, quam ex pessimis, & qui omnino corrigi non poterant hominibus, addito etiã malitiæ cognomine, Philippum cõdidisse memoriæ proditum est. At curiosi nó carminum, neq; poematum, sed humanæ conditionis & uitæ calamitates, errata, repulsas, ac solœcismos diligunt, quibus in unum collectis, absurdissimũ, & sine ulla omnino delectatione conscriptum malorum codicem, propriã scilicet memoriam circũferũt. Quemadmodum igitur Romæ nonnulli pictis tabulis, marmoreisq; statuis, ipsis etiam puerorum, mulierumq; uenalium formis pro nihilo habitis, forum in quo sunt monstra, circuunt atq; frequentant, ac identidem homines sine tibiis, aut ternos habétes oculos, aut grandi, informiq; capite monstrosos uidere cupiunt, subinde quæritantes an mistum genus, horrendumue aliquid contra naturam æditum fuerit, hi tamen si oculis huiusmodi spectacula continue subiecerint, celeriter & satietatem & nauseam sentient. Similiter qui humanæ uitæ ĩfelicitates, generisq; opprobria, & notas, tum mutationes ac errata alienis in domibus curiose perscrutantur, si meminerint priorum, quod scilicet gratiam nullam, fructumue aliquem attulerint, a negotiosa hac inquisitione desistent. Plurimum etiam ad ægritudinis huius diuersionem facit consuetudo, si longe antea

exerceamur, nosque ipsos huic continentiæ ac grauitati assuefecerimus. Augetur enim hic morbus consuetudine paulatim, ac pedetentim ulterius progrediente. Modum autem augumēti, quo exercitio id uitii genus expellamus, differendo intelligemus ex cōtrario. Oportet igitur, ut existimo, sensum nostrum non tanquam intemperantem seruum foras deturbari, sed ad obeunda negotia ab ea animi parte, quæ ratione utitur missum, ea celeriter & curare & significare, postmodum decore, ornateque intra rationem se continere, ipsique obtemperare decet. nobis autem Sophocleum illud econtrario accidit. Quemadmodum enim qui ore durissimo sunt, equi frena contemnunt, equitemq; ui trahunt, ita etiam sensus non recte instituti, aut exercitio prius docti, sæpenumero præ currētes, ad ea quæ minime deceant, mentem simul præcipitem ducūt. Vnde ut illud falsum est, quod aiunt, Democritum oculis in æreum, ardensq; speculum fixis & obfirmatis, splendoris ipsius reflexu luminibus se priuauisse, quia scilicet existimaret species, commentationesq; animi sui contemplandis naturæ secretioribus exactiores futuras, si lucis impedimētis, atq; illecebris, tanquam ianuis duabus peruiis, quæ sæpe animum ad exteriora conuertunt, clausis liberatus, intra semetipsum maneret, & in commentandis intelligibilibus solum esset occupatus. Vt igitur primum illud falsum, ita posterius uerissimum est, eos qui in magnarum rerum inuestigatione, animiq; continua agitatione uersantur, sensus raro habere in motu, eamq; ob causam Musarum secessus lon-

giſſime ab urbibus antiquióres dedicauere, Noctẽ etiã conſiliorum matrem cognominarunt. Exiſtimabant enim ad iueſtigationem, conſyderationemq́ eoꝝ quæ poſita eſſent in ueri inquiſitiõe, quietem, otiumq́ ſine perturbatione plurimum conferre. Tertium quoq́ ad effugiendam curioſitatem præceptum (ut opinor) erit neq́ durum neq́ difficile, ſi exempli gratia, rixantibus in foro quibuſdam, ac ĩuicem in alterutrum maledicta congerentibus, proptereaq́ hominum facto concurſu non accurras, ſed quiete, grauiterq́ aſſidens, loco te nõ dimoueas. Quod ſi continere teipſum non poſſis, ſurgentem diſcedere ſatius eſt. nihil enim ſi te concurrentibus immiſcueris, propterea boni aſſequeris, Quantũ enim ad te attinet, ex huiuſmodi cõtinentia illud maxime aſſequeris, nã & curioſitatem quodãmodo per uim auertes, aſſueſceſque rationi obtemperare. Ex his igitur initiis in maioribus quoq́ ad curioſitatẽ extirpandam exerceri poterimus, ueluti ſi Feruẽte auditorio Theatri ſummo hominum concurſu ac ſtudio, ne retróſpicientes quidẽ pertranſierimus, uel amicis nos ad ſaltatoris, comœdiue ſpectaculũ deducẽtibus nõ uadamus, aut ĩ ſtadio, ſeu hippodromo ſublata ſpectatoꝝ acclamatione, ne conuertamur quidẽ. Vt .n. Socrates ciboꝝ genera quæ non eſurientes ad comedendũ, pocula item quæ minime ſitiẽtes ad bibẽdũ alliceret, cauẽda eſſe præcipiebat, ſic & nos cõfabulationes & ſpectacula, quæ eos ad quos non pertinent, demulcere ac delectare uidentur, omni conatu effugere oportet. Cyrus apud Xenophontẽ Panthiã uidere noluiſſe ſcribit. Cũq́ Araſpes

inſtaret, diceretq; dignam eſſe mulieris quæ ſpectare‑ tur, formam, propterea inquit magis cauẽdum cenſeo. Si enim te ſuadente ad eam aſpiciendam accederem, fortaſſe elegantia ſua perſuaderet mihi, ut iteꝝ dimiſſis maioribus quæ iam incumbunt negotiis ad ipſam uen titarem. Similiter etiam Alexander Darii coniugẽ quæ pulcherrima eſſe dicebatur, in conſpectum ſuum ueni‑ re prohibuit. Et cum matrem iam ſeniorem crebro offi cii gratia uiſeret, formoſam adoleſcentulamq; nullo modo uidere ſuſtinuit. Nos autem mulierum lecticis oculos iniicientes ac feneſtris ut ita loquar, ſuſpenſi, ni‑ hil contra officium committere exiſtimamus. Atq; ita facilem labilemq; curioſitatem nos ipſi facimus. Vt igi tur iuſtitiæ æquitatiſq; exercendæ cauſa, lucrum etiam honeſtum nonnunquam contemnere decens eſt, ut ſci‑ licet hac conſuetudine te ipſum ab iniuſtis longe ab‑ eſſe aſſuefacias, utque ad modeſtiam maiorem com‑ parandam, ne propter alienam mouearis, a propria uxo re aliquando abſtinendum eſt, ita etiam eandem cõſue tudinem inducas curioſitati ac enitere multa ex tuis ſæ‑ pe obaudire contemnereq;. Et ſi forte quiſpiam de re tua domeſtica nuntiare aliquid uoluerit, differas. Ser‑ mones item aliquos tanquam de te habitos reiicias. Et‑ enim Oedipum, ut eſt in tragoediis, multis grauibuſq; calamitatibus inuoluit curioſitas. Cum enim ſeipſum ac genus ſuum quæreret, tanquam ſcilicet Corinthius non eſſet, occurrit Laio quo interfecto matrem duxit uxorẽ. Cũq; dotali regno & coniuge beatus eſſe uide‑ retur, rurſus ſeipſum quærebat & inuita ac renitente

uxore,tanto magis & conſcium ſenem excutiens, omnem urgendo neceſſitatem inferebat, adeo ut cum res ipſa iam ſuſpitionem intuliſſet,exclamaſſetq; ſenex, hei mihi,iam proximus ſum ad ſcelera detegenda, cupiditate ardens furenſq; reſponderet,ego uero audire.Tam incontinenti acerbaq; dulcedine,pruritus ille quem curioſitas excitat, conditus eſt, ut non abſimilis uideatur ulceri,quod cum ſcalpitur,emittit ſanguinem.Qui autem tam graui morbo liberatus erit,ac ad priſtinam innatamq; animi quietem peruenire potuerit, difficultatibus periculiſq; perfunctus, tragicum illud rectiſſime dicere poterit.O iucunda obliuio malorum quanta ſapientia polles. quapropter adhæc maxime domeſtica, nos ipſos aſſuefacere oportet,ut uidelicet cum epiſtola nobis aliqua reddita fuerit,non celeriter nimis,raptimue ſoluamus. Quod quidam plurimi facere ſolent, ita ut manibus tardiores ſibiipſis uideantur,ni uincula dentibus etiã deuorent,Aut ſi forte aliunde deuenerit nuntius, ne ſubito aſſurgamus neue ſtatim occurramus. Si quando etiam conuenerit nos amicorũ quiſpiam,dixeritq;,nouam quandam rem tibi dicere habeo,conſtanter reſpondendum, magis audire cupio, Siquid utile honeſtumue habes. Cum olim Romæ diſſerente me Iunius Ruſticus quẽ poſtea Domitianus tanti uiri gloriæ inuidens interfici iuſſit, intereſſet, & miles quidam per medium conſeſſum Cæſaris epiſtolam illi reddidiſſet, facto ſilentio,quouſq; epiſtolam legeret, ego etiam ſermonem tantiſper interruperam. Ruſticus autem cum hoc animaduertiſſet, noluit, nec prius literas ſoluit,

iucunda obliuio ma:
rum quanta sapientia
lles

unius rusticus Plutarco
disserente cum literas acce-
pisset distulit soluere.

quam ad finem peruenissem, auditoriumque omnino uacuum esset, quam ob causam qui aderant uiri constantiam grauitatemque admirati sunt. Quod si dum licet, facilioribus quispiam rebus curiositatem nutriens firmum fortemque reddiderit morbum, postea inueterata consuetudine ualidum, ac ad ea quæ minimæ decent, præcipitem non amplius continere poterit, Tunc enim huiusmodi homines & amicorum literas soluent, tunc secretioribus consessibus sese offerent, tunc sacrorum, quæ inspicere fas non est, spectatores erunt, tunc loca inaccessa calcabunt, Sermones negotiaque regia omni curiositate perscrutabuntur. Atqui tyrãnos ipsos, qui necessitate omnia rimari cogũtur, onerosos odioque ac execratione dignos præcipue reddit genus illud hominum quod circa se habent. Qui quoniam rumusculos hinc & inde colligant, omnesque ad libere loquendum alliciant, tum aures, tum allectores appellati sunt. Et auricularios quidem primus persarum Rex Darius ad omnia timidus atque suspitiosus, ita ut sibiipsi non crederet, excogitasse dicitur. Allectores autem Dionysii pater & filius Syracusanis immiscuerunt. Quamobrem rebus postea mutatis, hoc in primis ciues supplicio affecerunt. Genus quoque illud hominum qui Sycophantæ dicuntur, ex eadem tribu uel potius familia domoque originem habere uidentur. In hoc tantum differunt, quod hi, siquis mali quidpiam aut consuluerit aut commiserit, inquirunt, curiosi autem inuoluntarias etiam uicinorum calamitates redarguunt, ac in medium efferunt. Aiunt etiam quos græce ἀλιτηρίους

Darius primus auricularios excogitauit, et Dionysii pr allectores

appellamus, latine autem ĩquiſitores dicere poſſumus, a curioſitate primum cognominatos. Laborantibus & enim ſumma annonæ caritate ac penuria Athenienſibus, dum habentes, cum aliis frumenta non cõmunicarent, ſed furtim in domibus molerent, circumeuntes quidam urbem, molarum obſeruabant ſtrepitus, Qui poſtea a ſcrutando ſonitu appellati ſunt alitirii. Similiter etiam calumniatoribus nomen a curioſitate inductum eſt. Cum enim lege prohibitum eſſet, ne ficus extra urbẽ efferrentur, huiuſce rei delatores Sycophantæ appellati ſunt. Hæc etiam ad depellendum morbum curioſis identidem cogitare non erit inutile, utpote cũ animaduerterint genus inſtitutionis & uitæ quam elegerunt, omnino ſimile cognatumq; eſſe hominibus iis qui humani generis ſingulari odio ac execratione digni exiſtimãtur, aliquando erubeſcant, atq; declinent.

FINIS.

Reuerendo Domino Ioanni Matthæo

Gyberto. S. D. N. Datario.

F. Minitius Caluus.

S. P. D.

MVlta ciuilis uitæ institutioni perniciosa, & per se fœdissima sunt uitia Gyberte amplissime, tum uero importune nugari, aliorumq; negotiis se insinuare in primis sunt merito detestanda. Quippe quæ ad nullam bonam frugem conducant, quin sæpius impellant miseros mortales ad odia, inimicitias, aliasq; pestes humani generis. De qbus uitãdis Plutarchus ille Chæroneus duobus opusculis, pulcherrima, saluberrimaque (ut in his quæ ad mores pertinẽt, semper consueuit) nobis tradidit præcepta. & ne

latinis græcã linguam nescientibus tanti thesauri copia deesset, ea Ioannes Laurentius Venetus uir græce & latine doctissimus perquam eleganter, fideliterq; interpretatus est. Quorum, cum alterũ, quod de Curiositate inscribitur, nusquã adhuc typis excusum, alterum de Nugacitate innumeris certe mendis perpurgatum, mea cura in publicum dare uellem, te unum delegi, cui ea iure optimo dicarem, & qui eo munere (si ullo unquam alio) dignus esses. Hæc enim uitia non solum deuitasti, ut & quæcunq; alia, sed ab ineunte adolescentia tantum abominatus es, ut iis oppositas uirtutes tibi præcipue colendas duxeris. Nam in isto ætatis flore, quid sanctius tua diuina taciturnitate? nec quisquam maiori temperamento uerba facit, ubi loqui operæpretiũ est. quisue propria negotia, seu magnorum principum tam inuiolabili fide, sa-

pientiaq; obiit, posthabita alienarum & inutilium rerũ solicitudine? Quibus maxime uirtutibus factũ crediderim, ut duo Medicei Pontifices Optimi, atq; Maximi, & ii quidem ingeniorum censores acerrimi Leo. X. & Clemens. VII. te tanti faciundum iudicauerint, quanti præterea neminem. Quod si per publicas occupationes quibus iugiter distineris, hos tibi libellos in manus sumere aliquãdo licuerit, eas ipsas uirtutes tibi præ cæteris familiares, uelut in lucidissimo speculo aperte dignosces, simulque animum tuum, sua sponte optima quæq; sectantem, ad has Plutarchi sapiẽtissimas institutiones tanquã ad amussim formatum, excultumq; perspicies. Vale.

Quiſquis es, ſiue Impreſſor, ſiue Bibliopola, caue hos libellos alioſue quoſlibet in Franciſci Minitii Calui officina libraria primum excuſos, excudendoſue, intra proximum decennium uſpiam gẽtium imprimas, uel ab aliis temere forſan impreſſos uendas. hæc enim ſeueriſſimo edicto uetuit bonarum artium fautor Clemens. VII. Pont. Max. quique ſecus fecerint, eos non modo in ſingula uolumina denis aureis mulctari, uerum & Chriſtianorum commercio, atq; aqua, & igni interdici uoluit.

Vale. & uide, ne inuidus negotium tibi faceſſas, bene memor nullam eſſe ſcelerum impunitatem.

PLVTARCHI CHAERONEI COMMENTARIVS DE CVRIOSITATE, INTERPRETE IOANNE LAVRENTIO VENETO.

u TILE Fortasse, optimumq; consilium fuerit, male odoram, obscuram, frigidam, ĩsalubremq; habitationem procul fugere, Si uero consuetudine captus quispiam locũ diligit, licet ei uel fenestris alio situ positis, scalisq; mutatis, uel ex ianuis clausa altera, lucidiorem, bene olentiorem, salubrioremq; huiusmodi domũ fabrefacere. Nam & urbibus in hunc modum conuersis quidam profuerunt, quemadmodũ patriam meam cum ad Zephyrũ uergeret, inclinataq; die solis reflexum e parnasso susciperet, orientem uersus a Chaerone translatam ferunt. Physicus etiã Empedocles obturato montis hiatu, qui graues morbidosq; afflatus, austro spirante exhalabat, male affectum aerem e regione illa exclusisse existimatus est. Cũ igitur in hominibus quoq; pestiferi affectus plerunq; reperiantur, qui partim frigus, partim tenebras animo infundunt, optimum id primum fuerit, eos procul si fieri potest, abiicere, atque ad aream usque demoliri, claritatemq; ac lucem, & purum, liquidumq; aerem nobis ipsis inducere. Sin id minus licet, saltem ad alium quendam locum conuertere ac circunducere eos, quãq; fieri possit, commodius resarcire concinnareq; oportet. Quo in genere curiositas nobis statim occurrit, ægritudo nec ab inuidiæ nec a malitiæ suspitione libera. Quippe

B

male odora

curiositas ægritudo ab inuidia, nec a ma[illegible] suspitione libera

quæ aliena mala noſcendi ſtudium habet,& profitetur. Quam enim aliam ob cauſam,niſi ſumma concitatus inuidia,aliena ita acute cernis,cum ad tua errata caliges? Depone alienarum rerum curioſitatem, ac in te ipſum conuerſus,ſi te forſan rerum malarum hiſtoriam pertra ctare delectat, ea quæ in te ſunt, examina. Plurimum enim domi huiuſcemodi uoluptatis inuenies. Quam multa in ſyluis auium ſe milia condunt, Veſper ubi,aut hybernus agit de montibus imber, tot affectus malos in animo inuenies, totienſqȝ officii omiſſi tibiipſi eris conſcius. Quemadmodū enim diligenti patrifamilias locum eorū quæ ad rem diuinam, quæ item ad belli/cam, quæ ad ruſticam pertinent,diſcretum propriūqȝ eſſe debere ſcribit Xenophon,ſic partim ex inuidia par/tim ex Zelotypia, quædam etiam ex anguſto, paruoqȝ animo uitia domeſtica tibi inſerta ſunt. Hæc tecum percurre,hæc examina,hæc contemplare. Aditum au/tem ad uicinorum ianuas curioſitati omnino obſtrue, e regione uero tuas omnes eidem aperi, eas uidelicet quæ ad mulierum arcana cubicula, quæ ad uirorȝ atria, quæ ad ſeruorum cellas ac diuerticula ducūt. Ibi enim nec inutiles, nec inuidia incenſas, ſed ſalutares occu/pationes curioſum hoc morbi genus habebit; ſi unuſ/quiſqȝ ſeipſum diligenter interrogando illud inſuſur/rauerit. Quo ſum conuerſus, Quid feci in tēpore, Quid non? Nunc autem quemadmodum in fabulis aiunt, Lamiam domi cæcam,oculis uaſe quodam depoſitis carere, in publicum uero proditurā reſumere atqȝ aſpi/cere, ſic unuſquiſqȝ noſtrum alienis in rebus nihilqȝ ad

nos pertinentibus, inanem curiositatem, tanquā oculū malæ mēti imponit. nostris uero erratis ac malis etsi sæpius occurramus, ex ignoratione tamen ad ea nec lucem, nec oculos porrigimus. Quamobrem homini curioso euenit, ut nō sibi ipsi sed inimicis potius bene cōsulat. Cū enim eoꝝ aut reprehendit errores, aut obiicit, simul etiam a quibus declinare, quæꝗ corrigere oporteat, docet. ipse uero circa aliena & extranea tātum occupatus, attonitusꝗ domestica etiam, & priuatim ad se pertinentia utplurimum negligit. At Vlysses apud Homerum priusquā Tyresiam iis de rebus propter quas ad inferos descenderat, consuluisset, ne matrem quidem affari sustinuit. Cum autem singula intellexisset, tūc ad parentem conuersus, aliarum quoꝗ Heroidarum casus percunctari cœpit. quæ nam scilicet esset Tyro & quæ pulcherrima Chloris. Quam etiam ob causam Iocasta informis lethi nodum trabe nexuit alta. Nos uero cōtra in his quæ rem nostram tangunt, omnino negligentes, alienorum genus recensemus. Quod uicini nostri auus in Syria natus, auia autē e Thracia fuerit, ꝙ alter tribus talentis mutuo acceptis decoxerit. Nōnunquā etiā diligēter inquirimus, unde nam illius uxor domū redibat, aut quid esset causæ, ꝙ duo illi pauloante secretius ī angulo collocuti essent. At Socrates inquirere, ac perscrutari solebat, quibusnam uerbis, quoue orationis genere Pythagoras persuaderet. Aristippus etiā Ischomacho apud olympia cōgressus quanā disputatione ac sermone Socrates ita afficeret adolescētes, percūctabat̄. Cūꝗ ab eodē paruam, ut ita loquamur, delibationē p̄ceptoꝝ

Socratis gustasset, ita est animo affectus, ut facie pallidus corporeq; attenuato uix consisteret, quousq; sitiens ardensq; desyderio Athenas uenit, & aquã, quod aiunt, hausit e fonte, ac disputationes & philosophiam hominis perspexit. Cuius summũ illud, extremumq; praeceptorum erat, oportere unumquenq; hominum propria uitia primum perpendere atq; examinare, operam deinde omnem adhibere, ut ab eisdem liberaretur. Sũt autem nõnulli homines: qui in propriam uitam utpote molestissimum spectaculum introspicere haud quaquã sustinent, nec cogitatus suos, rationẽq; flectunt, ut sibi ipsis claritatem lucemq; inducant. Animus nanq; multis uariisq; uitiis refertus, & grauis, cum ea quae intus habet, nõ solum timeat, sed etiam horreat, quasi quodam saltu ad exteriora seipsum praecipitẽ iacit, rebusq; alienis occupatus malignitatem pascit, & saginat. Vt enim auis domestica cum plurimum cibi ante pedes iaceat, nihil minus angulo se ĩserit ac quasi furtim quaerit, si in sterquilinio unum etiam ordei appareat granum. Similiter curiosi homines tum historiis, tum omni cõmuni sermone praetermisso, his etiam quae nullus interrogare prohibet, aut interrogatus moleste accipit, occulta latentiaq; tantum mala ex omni domo excutiunt. Vrbanum aegyptii cuiusdam illud memoratur inprimis. Interroganti enim quid nam uelatũ opertumq; deferret? propterea inquit tectum est. Et tu quoq; quam ob causam curiose inquiris, quod de industria occulitur? nisi enim quid subesset mali, non tegeretur. Atqui non pulsata prius ianua, domum alienam ingredi consuetudo

Aegyptius quidam interrogatus quid nam uelatum opertumq; deferret? propterea inquit tectum est.

nulla est, & nunc ianitores eam ob rem assident. Priscis uero temporibus aenea quaedam instrumenta foribus impacta stridore signum dabant, ne scilicet aut matremfamilias, aut uirginem, aut seruum uapulantem ancillulasue clamanteis in propatulo deprehenderet alienus. At curiosus ad haec ipsa sese insinuat & quodammodo inserit. Domus uero bene modesteq; instituta spectator etiam inuitatus non libenter intrauerit. E contrario ea omnia propter quae & aulae & claues & pessuli excogitati sunt, in publicum efferens aliis detegit, & uentorum flatus ut Ariston inquit, eos maxime odio quodammodo insequimur, qui extremas uestium nostrarum oras euoluunt. Curiosus uero nō uicinorum indumenta, non tunicas, sed muros euertit, postes aperit, postremoque, ut ait poeta, mollis delicataeq; uirginis sinum, tanquā spiritus quidam subintrat, serpitq; & orgia, choros, nocturnaq; sacra perscrutando, omnia calumniatur. Ac quemadmodū Cleon in comoedia, manibus pedibusq; apud Aetolos, mente uero in furtis rapinisque uersari scribitur, ita etiam curiosi hominis animus simul in diuitum aedibus, in pauperū domunculis, in Regum aulis, in nouis nuptarum thalamis uersatur, & omnia quotquot sunt, inquirit, externorum, ducum, principumq; negotia perscrutatur, nec sine periculo quidem, ut plurimum talia quaerit. Qua in re non minus stulte facere uidetur, quam siquis aconitum biberet, qualitatem quae ueneno inest, curiose gustare cupiens. Vt enim hic antea quā aliquid sentiat, sensum ipsum morte praeoccupat, similiter & huiusmodi ho-

mines magnorum uiroꝝ mala perquirentes antequã ea cognoſcant, ſeipſos pleruncꝫ perdunt. Hi etenim qui Solis huius immenſos quidem, omniumcꝫ animantium uſui diffuſos radios cõtempſerint, ipſum uero ſolarem circulum impudenter ſuſpicere, ac lucem ipſam con/templari audent, obcæcantur. Quamobrem bene ac ſapienter comicus Philippides, cũ a Lyſimacho Rege aliquando interrogaretur qua potiſſimum in re libera/litatis Regiæ particeps eſſe cuperet, ut lubet, inquit o Rex, dum tamen nihil ex arcanis ſecretiſcꝫ tuis cõmuni ces mecum. Regem nancꝫ negotia quæ iucunditaté uo luptatemcꝫ, ſeu paruã, ſeu maximam præſeferũt, omni/bus in propatulo ſunt, opes uidelicet, conuiuia, diuitiæ, celebritates, gratiæ & cætera huiuſcemodi. Siquid auté cellatũ erit, necꝫ occurras, necꝫ perſcruteris. Non enim principis lætitia, nõ humanitas, non denicꝫ ludentis ri/ſus eſſe ĩ occulto poterit. Quod latet, terribile, crudele, inacceſſibile eſt, ſine ulla omnino iucunditate ac riſu, utpote cum alicuius rei ſuſpitio, iracundia, aut uindi/candi cupiditas, uel in uxorem Zelus, amici infidelitas, aut in proprium filium occulta ſuſpitio eius animum torqueat, & exulceret. Effuge hanc nigram tempeſta/tem, conglobatamcꝫ nubem, quæ cum occultum hoc diſrumpetur, nec tonitru, nec fulgure latere te poterit. Quonam igitur pacto liberari, aut nos ipſos diuerte/re ab huiuſmodi uitio poterimus? Aut quæ interru/ptio, uel bonam in partem curioſitatis tranſlatio erit? Omnium maxime, ſi ad meliora iucũdioracꝫ animum conuerterimus. Circa diuina cœleſtiacꝫ eſto curioſus,

Quæ in terra, quæ in aquis, & aere sunt, perscrutare. aut enim te ad parua, aut ad magna contemplanda natura formauit. Si ad magna natus es, solem ipsum consydera, ubi uidelicet occidit, ac unde oritur. Lunæ etiam crebras nec humanis dissimiles mutationes, multiformesque ambages diligenter inquire. Quonam loco tantum claritatis lucisque consumpserit. unde rursus acceperit. quomodo ex incognita obscuraque nebula subito prænitens, paulatim pulchriore aspectu se ipsam implet, cumque immensa, orbeque pleno conspicua nobis apparuerit, repente nulla iterum effluit. Sunt quidem hæc naturæ abdita atque secreta. Siquis tamen rationem curiosa inuestigatione assecutus fuerit, non grauatur. Quod si maiora hæc attingere pro ingenii tui modo desperes, minoribus immorare, cur scilicet ex arborum, stirpiumque numero aliquæ perpetua uirescunt pube, & quodammodo iactabundæ per omne anni tempus diuitias suas explicant, & ostētant. Aliæ rursus quodam tempore, & flore, & folio non inferiores, paulo post mutata facie tanquam negligentes matresfamilias opibus, ornamentisque omnibus effusis nudæ pauperesque relinquuntur. Quidnam esse causæ dicamus, quod ex his nonnullæ oblongos, quædam angulares, plures rotundos, orbicularesque fructus ædant. Sed forte circa hæc iucunde occupatus non eris, quoniam scilicet nihil mali huiuscemodi curiositati innatū est. Quod si uitium hoc nulla in re bona, sed tanquam serpentem lethiferis in locis, ac uenenatis pabulis semper immorari, depascique omnino necessarium est, ad

inspiciendas historias quasi manu deducamus, multaq; & uaria malorum argumenta quibus refertæ sunt, proponamus. In illis enim hominum multiplices casus, desperatio uitæ, mulierum stupra, seruorum insidiæ, amicorum calumniæ, uenena Zelotypiæ, domorum euersiones, principũ destitutiones enarrantur. Inde hæc haurias, inde teipsum impleas, hac fruere uoluptate, nec molestia, doloreue quenquam ex his qui tecum uersantur, afficies. At certe ut usu uenire perspicimus, curiositas non multum ueteribus priscisque, sed nouis adhuc, feruẽtibusq; calamitatibus delectari uidetur. Et recentis quidem tragœdiæ libentissime spectatorẽ sese curiosum offerre, hilarioribus autem & comicis argumentis haud quaquã prompte ĩteresse cernimus. Quapropter euenit ut si quando in conuentu hominum nuptias, uel sacrificium, uel pompam magnifice instructã narrauerit aliquis, negligentem, pigrumque auditorem seipsum exhibeat curiosus, ab aliis audisse prius affirmet, ac identidem moneat, ut multa prætereat, quædam intercidat. Sin uirginis raptum, coniugatæ adulterium, accusationis apparatum, uel fratrum discordias assidens aliquis enumerat, tum nec oscitat, neque ullam prætendit occupationem, sed singula pensiculatur uerba, expenditque diligenter, atq; arrigit aures. Prouerbium nanq; illud quod dici solet. Eheu quã facile mala & infortunia hominum auribus allabuntur, de curiosis proprie uerissimeque dictum est. Quemadmodum enim cucurbitulæ id quod corruptum est tantum, ex humanis corporibus educunt, similiter curiosorum

ngula pensiculat atq- rigit aures.

ui quam facile mala infortunia hominum ribus labunt

euocataq; uxore, Cæsar (ait) secretum quod communi cauerat mecum, non tacuisse me percepit, ac propterea me ipse interficere uolo, At mulier recte quidem ait, cum enim tot annis tecum habitem, intemperantiã nec cognouisti, nec obseruasti meam. sed dimitte me, ut prius moriar, arreptoq; gladio se ipsam confodit, uirumq; morte præuenit. Bene igitur comicus Philippides, cum enim eum omni comitate Lisymachus Rex prosequeretur, interrogaretq;, quid nam de rebus meis tecũ me participare cupis Philippides, ut lubet (ĩquit) rex, dum tamen secretum aliquod non cõmunices mecum. At in nugacitate curiositas (quæ non minor est morbus) inesse solet, multa etenim audire uolunt, ut multa referre possint. & occulta secretioraq;, circumeundo, odorandoq; scrutantur, ac apud nugacitatem, tanquam uetus aliquod lignorum pondus reponunt. Et quemadmodum pueri glaciem, neq; cõtinere, neq; dimittere uolunt, uel, ut rectius loquamur, dum secretiores sermones tanquam serpentes sinu gestent, continere non possunt, postremo ab ipsis deuorantur. Viperas atq; echidnas dum pariunt, disrumpi aiunt. At sermo qui efferri non debet, si in eos qui continere non possunt, inciderit, in præcipitium trahit. Seleucus cognomento Callinichus, cum in pugna contra Gallos exercitum amisisset, lacerato abiectoq; diademate, cum tribus, quatuorue ad summum equo fugiens, per loca inuia diu uagus cucurrit, & tandem cum labore fameque fatigatus deficeret, ad uillam quandam coactus accessit, cũq; dominum casu reperisset, panem

Philippides a Lysima[illegible] Rege gratiam [illegible] quod secretum aliquod [illegible] communicaret [illegible]

& aquam petiit. ille uero & hæc, & alia, pro ea copia quæ rustico in prædio erat, iucunde, abundanterque, nullo comitatus genere ꝑtermisso, exhibuit. Cũq; Regẽ perspexisset, quisnam esset cognouit, ac uehementer lætatus est, quod fortuna ĩ id necessitatis cõpulsum ad se potissimum detulisset. Exhilaratus igitur se ipsum cõtinere non potuit, nec Regi latere uolenti, una cum ipso mẽtitus est. sed cum usq; ad uiam, regẽ comitatus esset, ac discedere uellet, saluus sis (inquit) Rex Seleuce, & ille porrecta dextera quasi deosculaturus, hominem traxit, & simul uni ex his qui sequebantur, annuit, ut ceruicem eius gladio incideret.

Dum loquitur, terræ caput incidit ense reuulsum.

Qui si ad opportunum usq; tacuisset tempus, cum paulo post Rex ad pristinam felicitatẽ, & maiorem rediisset, uberiores ex taciturnitate gratias, quam ex hospitalitate reportasset. hic tamen aliquam quodammodo incontinentiæ suæ occasionem, bene sperando hospitii causa habere uidebatur. Maior autem nugatorum pars, nullam ob causam seipsos perdunt, quale illud est, quod in tonstrina euenit. Cum enim inter assidentes de Dionysii tyrannide sermo incidisset, diceretur q; eam insuperabilem, & quodammodo adamantinam esse, arridens tonsor, hæc de Dionysio uos existimare non mediocriter (inquit) miror, cuius ego ceruici, paucis interiectis diebus, nouaculam superimpono. Hæc, ut audiuit Dionysius, hominem in crucem actum interfecit. Et certe utplurimum tonsores omnes nugaces sunt. cum enim loquacissimi quiq; ad tonstri-

t plurimum tonsores
mnes nugaces sunt

nas confluant, ibidemq; totos dies aſſideant, & nugen
tur, ipſi quoq; nugandi conſuetudine imbuũtur. Idcir
co urbane admodum Archelaus rex, dum eum loqua-
cior tonſor linteis cicũuelaret, crebroq;, quomodo te
radi uis o Rex, percũctaretur, tacẽdo, reſpondit. Cladẽ
etiam illam Athenienſium in Sicilia maximam, cũ ton
ſor a cuiuſdam qui inde euaſerat ſeruo, apud Pyræum
audiſſet, primus nuntiauit. Relicta enim tonſtrina,
curſu citatiſſimo, quaſi ne ei gloria præriperetur time-
ret, ad urbem aſcendit, ciuitatemq; ſtatim compleuit
totã, ortaq; ut æquum erat, pro rei magnitudine per-
turbatione, populus in concionem collectus, primos
huius nuntii, rumoriſq; authores perſcrutabatur. Addu
ctus igitur tonſor eſt, cumq; interrogaretur, ne nomen
quidẽ eius, a quo id audiſſet ſciebat, omniaq; ad igno-
tum, & innominatum quempiam referre. Vniuerſa con
cio ira percita acerrime ad prætorem clamare cœpit.
Tolle, torque, excrucia ſceleſtum, componit enim &
fingit hæc. nam quis alius audiuit? quis credidit? affer-
tur igitur quamprimum rota, & extenditur miſer. In-
terea ueri calamitatis nuntii aduenere, utpote cum ex
conflictu ipſo euaſiſſent. unuſquiſq; igitur ad domeſti
cas infelicitates deplorandas cõuerſus diſceſſit. Ille in-
terea rotæ alligatus manſit, cũq; inclinato iam die tan-
dem aliquando ſolutus eſſet, tortorem identidem per-
cũctabatˇ, an de Nicia qui exercitui præfuerat, & quo-
modo interfectus fuiſſet, aliquid audiſſet, adeo conſue
tudo irreprehenſibile, ac inexpugnabile malum, nuga-
citatem reddit. Quemadmodum autem qui acerba

Archelaus Rex tonsori percunctanti, quomodo te radi uis, tacendo respondit.

& male olentia pharmaca biberint,etiā ad calices ipſos nauſeare ſolent, ſic qui mala nuntiare conſueuerunt, au dientibus moleſti,odioſiq; ſunt. Ideoq; cōmodiſſime Sophocles dubitaſſe uidetur.

Animum per aures cur momordiſti meas?
Meum dolorem concinne quid narras mihi?
Quicunq; factis lædit,offendit prius
Mentem,loquendo ſed aures afficit dolor.

Quocirca non minus qui dicunt, quam qui faciunt do lore afficere ſolent,& tamē dum lubricitate ſua perfluit lingua, neq; contineri, neq; reprehendi poteſt. Apud Lacedæmonios Palladis æreum delubrum eſt,a,quo etiam cognominatur. Id cū quidam depeculati eſſent, reperta eſt templi medio uacua lagena. facto itaq; po/ puli cōcurſu, erat apud complures ambiguitas eam ob rem maxima. At ex aſtantibus quidam ſi uultis (inquit) quid mihi de lagena hac in mentem uenerit,explicabo. Exiſtimo enim ſacrilegos huiuſcemodi homines,cum tantum periculi adituri eſſent, aconitum bibiſſe,ac ui/ num propterea ſecum detulere,ut ſi rem perficerent,& latere poſſent, mero ebibito,& ueneni ui diſſoluta,atq; extincta,liberati diſcederent.ſin ĩterciperentur, expedi to mortis genere, & ſine doloris ſenſu,quæſtiones, tor mentaq; euaderent.Hæc cum dixiſſet,non eius qui cō/ iectura, ſuſpicionibuſue,in re dubia ĩcertaq; niteretur, ſed omnia ſcientis,illis qui aderant,ſententia hæc uiſa eſt. Idcirco undiq; circunſtantes, alius hinc, alius inde urgere, inquirere, tu quis es? quis te in hac urbe nouit? unde nam hoc ſcire adeo præciſe potuiſti? ac demum

deprehensus,& irretitus undiq;, se unum ex his qui sacrilegium perpetrauerant, esse confessus est. Ibici quoque interfectores, nōne in Theatro sedentes eodem modo intercepti fuere? Cum enim grues superuolarent, in risum soluti, alius alii insusurrabant. Ecce Ibici ultrices adsunt. Quod uerbum a prope sedētibus exceptum, cū longo iam tempore Ibicus non compareret, & quæreretur, ad ciuitatis principes detulerunt. Hoc igitur pacto redarguti, & in uincula coniecti, non gruibus, sed propriæ linguæ petulantia, tanquā furiis ultricibus agitati, mortem ei intulisse cōfessi sunt. Vt enim ad partes corporis male affectas, & dolentes, propinqua fluxu feruntur atq; descendūt, sic nugacis hominis lingua, cum semper inflammatione quadam pulsetur, ad sese occultum, secretumq; aliquid trahit, & colligit. Quapropter quasi obice quodam præmuniri eam oportet, rationemq; ualli, propugnaculiq; loco illi opponere, atque hoc maxime artificio fluxum eius, labilem quæ intemperantiam coercere, ne anseribus insipientiores esse uideamur. quas (aiunt) dum ex Cilicia Taurum montem aquilis refertum superaturæ aduolant, satis magnum lapidem ore suscipere quasi claustrum, aut frænum aliquod garrulitati imponant, atq; ita noctu, latētesq; magno silentio superferuntur. Siquis percunctaretur, quis omnium scelestissimus, perditissimusq; inter homines esset, nullus certe alium, quā proditorem proponeret. Et tamen Euthycrates, ut ait Demosthenes, ex macedonicis trabibus insignem erexit domū, Philocrates auri uim magnam accepit, quam scortando, obsonandoq;

nugacis linguæ cum inflammatione quadam pulset[ur] ad sese occultum secretumq; aliquid trahit.

profūdebat. Euphorbo, ac Philagro, qui Eretriā prodidere, agros conceſſit Rex. Nugator autem ſine ulla omnino mercede proditor uoluntarius eſt. Et tamen nec equitatum, nec muros ciuitatis prodit, ſed ſolum quæ ſecreta eſſe oportebat, in iudicio, in ſeditionibus, in repub. effert. nulluſque propterea gratias illi agit, quin potius ſi auditorem habere potuerit, gratias illi ſe debere ultro exiſtimat, adeo ut quæ ad prodigum, qui nullo adhibito iudicio ſua proiicit, & donat, dicta ſūt, Non tu benignus es, ſed morbum pateris, donare gaudes. ad garrulum commodiſſime tranſferri poſſunt. nō propterea amicus es, quia hæc communicas, morbum habes, nugari gaudes. Hæc autem admonitio, non accuſatio loquacitatis, ſed medicina exiſtimanda eſt. Affectus enim noſtros, iudicandi ſolertia & exercitatione ſuperamus, ſed iudicium præcedat oportet. Nemo enim aſſuefactione aſſequi poterit unquā, ut quod non diſplicuerit prius, abhorreat animo. affectus uero tunc abhorremus, quando probra, diſpendiaq; ex ipſis peruenientia mente, ac ratione perceperimus. Id quod in præſentia uſu uenire huiuſcemodi nugatoribus uidemus, qui amari uolentes, odio habentur, gratificari cupientes, moleſti ſunt. cum ſe in omnium admiratione eſſe exiſtiment, deridentur. Qui cum nihil lucrentur, conſumunt ſua, in amicos iniuſti cum ſint, inimicis proſunt, & ſe ipſos perdunt. Quocirca prima hæc curatio & pharmacum huiuſce affectus erit, ſi turpia, ſi calamitoſa quæ a nugacitate proueniūt, cōſiderauerimus. Secunda item medicina adhibenda eſt, ut quæ contra

nugaces identidē dici solēt, meminerimus, ac in promptu taciturnitatis laudes tenuerimus, & quā graue, quā sanctū silētii arcanum sit, ante oculos habuerimus semper. Quodq; maiori admiratione apud homines sūt, & amantur magis, longeq; sapientiores existimantur, qui rotunda breuitate utentes multum sententiarum modica dictione cōprimunt, & ĩcludunt, quā qui redundantes, & sine freno uerbosi sunt. Nā & Plato ipse tales pcipue laudat, eosq; peritorū militū similes esse ait, qui crebra & sana, cōtortaq; uerba loquuntur. Lycurgus quoq; ad hāc dexteritatem, ciues statim a pueris assuefaciebat, ac taciturnitate quodāmodo cōprimens spissiores reddebat. Quēadmodū enim Celtiberi ex ferro ipso temperamentū faciunt, cū terræ defossum, quod in eo terrestre erat, expurgauerint, sic laconicus sermo corticē nō habet, sed eo quod superfluebat adempto, ad rem agēdam quodāmodo ĩcitatus acuit̃. Tale eni est apud eos orationis genus, quod breue, concisumq; cū sit, opportuna conuersione adhibita, cōmode, & acute, ex diuturna silētii obseruatione ĩ collocutionibus resultat. Hæc igit̃ & similia nugacibus proponere necesse est, qualē, quantāq; gratiā, & uim pseferant ostēdere. Quale illud est. Lacedæmonii Philippo. Dionysius Corintho. & rursus cū ad eos scripsisset Philippus, si laconicū agrū inuasero, funditus uos delebo. rescripserunt, Si quidem. Rex etiam Demetrius, cum moleste ferret, unicum tantum ad se oratorem misisse eos, ac propterea uociferās crebro iactaret, unū ad me Lacedæmonii legauerunt? nihil propterea deterritus orator, unū ait ad unū. Sēper

taciturnorum [illegible]

Lacedæmonii [illegible] legauerunt ad [illegible] unū ad unū

enim præcipua in admiratione fuerũt ueteres qui bre-
uiloquio ſtuduere. Et in Apollinis pythii templo, non Iliadẽ, Odyſſeamue, aut Pindari pæanas, Amphiɛtyones iſcripſerũt. ſed Noſce te ipſum. Ne quid nimis. Et Fideiuſſionem detrimẽtum ſequitur. Admirati quippe ſunt propoſitionum concinnam grauitatem, quoniam breuiſſima ſignificatione rotundam ſententiam contineret. Ipſe autem Deus nonne in ædendis oraculis, & cõciſior eſt, & breuiloquentiæ affeɛtator? propterea contortus appellatur, quoniam nugacitatem potiuſquã obſcuritatem declinat, & fugit. Inter homines etiam nonne illi qui ſine uocis miniſterio, quæ oportebat, per ſymbola enuntiaſſent, maxime laudantur, & in admiratione ſunt? Vt Heracletus, cum a ciuibus, ut aliquam de mutua concordia ſententiam diceret, rogaretur, pulpitum aſcendit, calicemq; frigida impleuit, & farinam infudit, ac indice ĩmiſcuit & bibit, poſteaq; diſceſſit. ut uidelicet eis ſignificaret, ꝙ qui in mediocribus contenti fuerint, ſumptuoſiſq; apparatibus minime indiguerint, urbes in pace, concordiaq; ſeruabunt. Et Scylurus rex Scytharum cui oɛtoginta erant filii, cũ morti proximus eſſet, haſtarũ faſcem afferri petiit, mandauitq; adoleſcentibus, ut ĩtegrum, colligatumq; rumperẽt. cũq; fatigati deſtitiſſent, ipſe ſingulatim lanceas traxit, & nullo negotio fregit. quo faɛto fraternam concordiam, beneuolentiamq; ſi in ea perſiſterent, munitã inſuperabilemq;, ſin diſcordia ſoluerentur, & debilem, & inſtabilem futuram ſignificauit. Igitur ſiquis hæc, & huiuſcemodi continenter dixerit, atque inculcauerit,

fortasse ab hoc nugandi pruritu, & uoluptate desistet. Me uero etiã seruus ille maxime incitat, ut rationi obtẽperare, ac in sentẽtia constantissime permanere, quale, quantũq; sit, sæpe ac diu cogitem. P. Piso orator, cum perturbari uerbis non sustineret, seruis mandauit, ut interrogati solum, & nihil amplius loquerẽtur. Post hæc Clodium e proceribus, cum honorare uellet, inuitari iussit, ac splendido ut æquum erat, apparatu hominem erat suscepturus. Instante igitur hora, alii omnes uocati aderant, Clodius autẽ adhuc expectabatur. Piso interea nomenclatorem seruum, an adhuc ueniret, exploratum sæpenumero mittebat, cũq; aduesperasceret, ac uenturus iam desperaretur, ad seruum conuersus, nõne ipsum inquit uocasti? uocaui ait ille. quare igitur non uenit? quia negauit. cur statim nõ dixisti? quoniã hoc (inquit) me non interrogasti. Hic itaq; seruus erat romanus. Atticus uero etiam fossor, quibus conditionibus facta sit pax, enarrabit, adeo in omnibus consuetudo maximũ est, de qua ut iam differere incipiamus, tempus admonet. Non enim tãquam freno aliquo nugacis hominis lingua coerceri potest, sed morbum consuetudine superari necesse est. Primum itaq; te ipsum assuefacias oportet, ut aliquo ex assidentibus interrogãte, quousq; omnes respondere destiterint, taceas. Vt enim Sophocles ait, sicut cõsilii, & cursus, finis idem non est, ita nec responsionis & uocis. Illic enim præcurrentis uictoria est, hic autem si quod satis est, respõderit alter, approbando, laudandoq;, beneuoli, modestiq; hominis famam sibi ipsi uendicare optimum erit. sin non satis fe

adeo in omnibus consuetudo maximum est.

cerit, tunc & docere quod ignoratur, & si quid desit, supplere sine inuidia licet, idq; nullo modo intempestiuum est. Maxime autem omnium cauere debemus, ne dum interrogatur alter, præoccupemus, præripiamusq; responsum, & fortasse alias quoq; haud honestum est, cũ quid ab alio petitur, quasi alterum, e, loco depellere uelimus, profiteri nos. simul enim existimare uidebimur quod petitum ab eo est, ipsum præstare non posse, & eum qui petit, tanquam, a, quibus petere oporteat inexpertum uituperabimus. est autem huiusce modi audacia atq; temeritas maxime contumeliosa. Qui enim hoc præoccupationis genere in respondendo utitur, arrogãtiam quandam præseferre uidetur, ac si diceret, quid nam homine hoc indiges? Quid enim nouit? me autem præsente, alium cur ĩterrogare oportet? Nam sæpenumero quosdam percunctamur, non quia nobis responsione sit opus, sed colloquendi suauitate, sermonis consuetudinem, ab his quibus cum loquimur, elicere uolentes ĩterrogare solemus, ut Theetetum, Charmidemq; Socrates prouocabat. Similis etenim ineptia est, responsionis locum alteri præripere, ac mẽtem, aurésq; alio conuersas ad se trahere. ac si quis dum osculo suscipi, a, quopiam uoluerit, osculum tu excipiendo præoccupes. uel cum quis alterum aspiciat, ipsum ad te inspiciendum conuertas. nam & si forte interrogatus quis, respondere non possit, quũ se paululum continuerit, modestius faciet, ac deinde si ita interrogans exegerit, moderate ac uerecunde, tanquã ad alienam euocationem inuitatus, sese componet.

ac respondebit. Qui enim, cum interrogati fuerint, respondendo errauerint, merito, iureq; digni sunt uenia. si quis autem sponte sermonem præripit & resumit, etiam si bene respóderit, ineptus, sin aberrauerit omnino ridiculus est, & ludibrio habetur. Secunda etiam cautio erit, cum proprie, peculiariterq; interrogatur quispiam, tunc enim continentissimum oportet esse nugatorem, & præcipue animaduertere, ne in homines incidat, qui risus & contumeliæ causa eum ad loquendum prouocent, ipse uero insciens & ignarus, adhibita diligentia serio respondeat. Sunt enim otiosi complures qui lusus, uoluptatisq; captandæ gratia quæstiones aliquas fingunt, & huiuscemodi hominibus proponunt, eorumq; loquacitatem excitant. Quod quidem cauere necesse est, nec celeriter ad responsionem prosiliendum est, neq; si sermonis occasionem iecerint, gratiæ haberi uideantur. Sed interrogantis mores, & uitæ consuetudo animaduertéda est diligenter, & si re uera discendi cupidus esse uideatur. Et tamen etiam si omnia illi suppetant, assuefacere qui interrogatur, se ipsum debet, ut inter quæstionem, responsumque, mediocre spatium intercedat. in quo & is qui interrogat aliquid addere, si ita libitum erit, possit, & qui interrogatur, quid responsurus sit, considerare ualeat. Nequé enim accurrendum statim est, quoniam qui celeri respondendi cupiditate rapiuntur, ipsam interrogationé nondum completam, plerunq; obruunt, & idcirco festinátes aliud responsum pro alio sæpe reddere solét. Pythia uirgo etiá antequá íterrogata fuerit, eadé hora

ſæpe oraculum efferre conſueuit, nec mirum ſiquidem Deus, cui miniſterium exhibet,

Elinguem & tacitum, ſurdumq; intelligit unus.

At inter homines, qui concinne reſpondere uoluerit, interrogantis mentem expectet neceſſe eſt, ut eius propoſitũ certiſſime aſſequi poſſit, ne quod in prouerbio eſt, uſu ueniat. ſolet enim de huiuſcemodi uſurpari, Aliud petebam. Nã & alias fames iſta, & ingurgitatio nugandi expellenda eſt, ne tãquam lubricitas quædã linguæ iam pridem ĩſidens interrogationis ſollicitudine, libentiſſime efferri uideatur. Hoc modo & Socrates ſitim exturbare conſueuerat, poſtquam enim ſeſe exercuiſſet, ſibi ipſe bibere non permittebat, niſi prius cado euacuato, alterum hauriret, ut pars irrationalis, rationali obtemperare aſſueſceret. Tria ergo ſunt quæ ad reſponſiones pertinent, genera. Vnum neceſſarium. Alterum benignius. Poſtremum ſuperuacaneum. Verbi cauſa interrogante aliquo, an intus ſit Socrates, qui promptus eſſe noluerit, quaſi coactus reſpondebit, Non intus. quod ſi laconico etiam more uti uoluerit, & intus, ſubticebit, ſolamq; pronunciabit negationem, ut ipſi Lacones, cum ab eis per litteras Philippus petiiſſet, an ipſum intra urbem ſuſcipere uellent, in charta maiuſculum, NON, reſcripſerunt. qui uero benignior fuerit, intus non eſt, ſed apud Menſarios reſpondebit. Et ſi cumulatius addere uoluerit, aduenas ibidem expectat. At ille ſuperuacuus & nugax, & qui forſitan paulo ante Colophonium Antimachum legerit, intus non eſt, inquiet, ſed apud Menſarios. hoſpites enim quoſdam

ionicos præstolatur, de quibus ad eũ scripsit Alcibiades, qui Mileti est in præsenti, & apud Tisapherné Regis magni Satrapem uersatur. is pridé Lacedæmoniis suppetias ferebat, nunc Alcibiadis causa ad Athenienses inclinare uidetur. Alcibiades enim in patriam redire cupiens, Tisaphernem in partes transtulit nostras. Et ut breui concludam, octauum Thucididis librum duplicabit, & hominem inundatione quadam uerborum obruet, quousq; Miletum expugnatam, & secundo in exilium actũ Alcibiadem enarrauerit. Idcirco in hisce nugacitas, præcipue in officio continenda est, & interrogatio tanquã per uestigium deducẽda & calcaribus, interualloq; adhibito, ad ĩterrogantis usum circunscribenda erit responsio. Carneadi, cum magnam apud homines authoritatem adhuc non esset assecutus, aliquando in Gymnasio differenti, ut uocis contentionem remitteret, mandauit Gymnasii magister, erat enim uocalissimus. cumq; dixisset, tu igitur mihi mensuram uocis da, non inepte subiecit ille, eum apud quem loqueris, tibi do. Similiter etiam responsionis modus ad interrogantis referendus est uoluntatem. Et ut Socrates ab eo cibi, potionisq; genere cauendum esse monebat, quod nõ famescẽtes ad edendũ, non sitientes ad bibendum alliceret, sic etiam nugaci necesse est ab eo sermonis genere, quo pcipue delectatur, & usq; ad fastidium uti solet, maxime cauere, cumq; sese offerat, ac titillet, omnino aduersari. ut militares homines in pugnis numerandis dicaces sunt. Talem quippe Nestorem introducit poeta, nam crebro uictorias, & res gestas suas

usurpat. eos etiam qui causam in iudicio, industria, so/lertiaq; ppria obtinuerint, aut præter spem apud Principes uel Reges grati, acceptiq; fuerint, nugacitas tāquā morbus quidā facile comitat, & sequitur, ut cōmemorent, narrentq; milies, quomodo introierint, adducti sint, certauerint, disseruerint, aduersarios, accusatoresq; redarguerint. Postremo quibus uerbis laudati fuerint, sæpe repetāt. Lætitia enim exuberās, Vigilātia illa, quæ in comœdia inducit, loquacior est. Dum enī se ipsam sæpe excitat, in narrationibus noua recentiorq; semper assurgit. Idcirco ad omnē occasionem, in huiuscemo/di sermones quasi lubrico in loco stantes labuntur. non solum enim ubi quis doluerit, ibidem & manū habet, uerum ubi uoluptas est in loquēdo, uocem ad sese alli/cit, & linguam ad id circūducit, quod semper memo/riæ inhærere cupit. nam & amatoribus etiam maxima iucunditas est in eo sermonum uersari genere, quo rerū amatarum memoria refricetur, adeo ut quando cū hominibus id agere non possint, cum inanimatis loquun/tur. O dulcis lectule, Bachis te deum putat. Lucerna fe/lix, dearum maxima, siquidem huic talis uideris. Enim uero ad omnia loquendi genera alba regula (ut in pro/uerbiis est) solet esse nugator. uerum tamen quoniam in quibusdam peculiarius affici uidetur, ab illis cauere ac omnino cōtinere se ipsum debet, & quā longissime potest, ab ea cantilena abesse, quæ uoluptatē longiuscule deducendi sermonis inducat. Idem quoq; nugatores patiuntur, dum in sermonem earum rerum incidunt, in quibus pro usu, & experiētia, alios habitu se antecel/

lere putauerint. Cum ení huiuſcemodi homo ſe ipſum amat, gloriæq; cupidior ſit, ut cæteris excellentior eſſe uideatur, plurimam diei partem in hoc genere conſu/mit. Qui multæ lectionis eſt in hiſtoriis, in arte gram/matica, qui per orbem terrarum uagando errauerit, in extraneorum moribus enarrandis immoratur. qua pro/pter hæc maxime cauenda ſunt, irretitur enim huiuſce/modi uoluptate nugacitas, & tanquam animal quoddã brutum, ad cõſueta pabula ſuapte procedit. Mihi uero admirabilis uidetur Cyrus, quoniam ita cum æquali/bus certabat, ut eos non in quibus melior ipſe, ſed ubi indoctior, minuſq; expertus eſſet puocaret, ne ſcilicet uictus, ſi ita caſus tuliſſet, dolore afficeretur, & ipſe in/terea diſcendo proficere poſſet. At nugax omnia con/tra; ſi enim ſermo ex quo doceri poſſit, inciderit, uel occaſio aliqua occurrat, ut aliquid quod prius ab eo ignoratum eſt, interrogare ualeat, eam quam primum expellit, & excludit, nec breuem ſibi ipſi taciturnitatis mercedem comparare ſuſtinet. ſed ad extrarias, & a multis iam inculcatas ſermonum cõcinnationes quaſi circulator defertur, ut apud nos quidã, dum caſu duos, treſue hiſtoriarum Ephori libros legiſſet, omne genus hominum quodammodo excruciabat, & conuiuia omnia funditus euertebat, cum ſemper Leuctricam pu gnam, & quæ ſequuntur, uſque ad faſtidium enarraret. idcirco Epaminundæ cognomen ſortitus eſt. Verun tamen hoc minimum in eo malorũ omnium erit, quin potius ad huiuſcemodi ſtudia nugacitatem conuertere operæ pretium eſt. Minus enim in loquacitate turpi/

tudinis inesse uidebitur, si studiosis, literatisq; sermonibus recensendis imodica fuerit, talesq; ut priuatim scribant, ac sine auditoribus disserāt, adhortandi sunt. Antipater stoicus, cum neq; uellet, neq; posset, ut uidetur coram disputare cum Carneade qui summa eloquentia præditus, ut torrens quidā in stoicos ferebatur, quotidie in eum scribebat. & quia de ratione disserendi, argumentandiq; contra ipsum Carneadem multa ineptiora uolumina ædidit, Calamoboans est appellatus. Nugax uero, si ab assidentis populi uoce se ipsum ablegauerit, hæc umbratilis, & domestica scribendi ratio eū minus molestum his, cum quibus uersabitur, fortasse reddere poterit. Nam & Canes, cum iram in saxa, lignaq; effuderint, hominibus minus nocent. Proderit etiā ipsis maxime, si cum melioribus, aut senioribus uersentur semper. Dignitatem enim eorum quibuscum erunt, uerebuntur, proptereaq; in officio, & consuetudine tacendi se continebunt. Oportet etiam implicitos imbutosque assuefactione illa nos esse, ut cum quid dicturi sumus, & iam uerba ad os usque percurrerint, ratione ac iudicio adhibito, nos ipsos alloquamur, in hāc prope modum sententiam. Quod nam est hoc uerbum, linguæ insidens, ac uim inferens? Ad quid in linguam appulsum est? si id dixerimus, quid assequemur boni? sin tacebimus, quid eueniet mali? Neq; enim sermo tanquam pondus aliquod aggrauans deponendus est, si quidem etiam cum prolatus fuerit, similiter manet. aut enim dum aliquo modo indigent suiipsius causa, uelut auditoribus emolumento sint, loquuntur homines, aut

conciliãdæ inuicem uoluptatis,& gratiæ ratione, iucũdiore ſermonum uice, locum in quo uerſantur, uel negotium quod agunt, tanquam ſalibus quibuſdam cõdire ſolẽt. Quod ſi nec dicẽti utilitas, nec auditorib. neceſſitas, nec uoluptas, aut gratia ex eo quod locuturi ſumus, reſultauerit, quam ob cauſam dicitur? Nam aduerbia illa, Fuſtra & Incaſſum, nõ minus ĩ uerbis, quã rebus ineſſe uſu compertum eſt. Ante omnia tamẽ & in hiſce omnibus illud Simonidis in promptu habere, & meminiſſe debemus. Aiebat enim ſe quod locutus eſſet, ſæpenumero pœnituiſſe, quod tacuiſſet, nunquam. Illud etiam cordi teneamus, ꝙ exercitatio omnes difficultates uincit, & ſuperat, ſiquidem tuſſim, atq; ſingultum homines adhibita diligentia magno cum labore, ac dolore, quaſi per uim ſæpe expulerunt. Taciturnitas autẽ, non ſolum res minime ſiticuloſa, ut Hippocrates ait, uerum etiam ſine mœroris, doloriſq; ſenſu eſt.

FINIS.

ROMAE IN AEDIBVS
F. MINITII CALVI
NOVOCOMENSIS
ANNO M.DXXIIII.
MENSE
APRILI.